



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio IV. De Traditione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

sent, neque necessarium fuisse, neque conducibile, &c.

Porro nonnullorum Interpretis errorum suspicio moveri potuisset ex eo quod videbatur Vulgata in aliquibus locis ab hebraica locutione discrepare: sed omnem ejusmodi suspicionem penitus amovebant duo; nempe quod satis liqueret ab hebraeis atque hereticis multa fuisse loca in sacris paginis depravata, & Ecclesia illa, quae caput est Christianae Reipublicae, atque peculiari Dei privilegio ac beneficio, semper persistit absque herefese lae, cum perpetua & nunquam interrupta successione Pontificum. Vulgatam à tot saeculis ut puram & germanam in omnibus suis partibus Scripturae originalis interpretationem recipiebat & probabat.

Obj. Andreas Vega, qui interfuit huic sessioni quartae, in qua decretum de Vulgatae authenticitate editum est, lib. 15. de justificatione cap. 9. nobis aperit adfertur: nam ibi sic Calvinum alloquitur: *Sed ne erres; ut facis, circa approbationem vulgatae editionis, factam in sess. 4. nec frustra labores in ostendendis vitiis vulgatae editionis.... Synodus non approbavit menda, quae linguarum periti, & in sacris litteris mediocriter versati, in ea deprehendunt.... eatenus voluit eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam defodari errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, & moribus colligi posset, atque ideo adjecit, ne quis illam quovis praetextu rescire auderet.*

Hanc autem fuisse Synodi sententiam ut probet, sic prosequitur: *Et hanc fuisse mentem Synodi, nec quicquam amplius statuisse voluisse, ex verbis ipsis & ex aliis consuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de his, verissime possum tibi allegare pro his amplissimum & observantissimum Dominum Sanctae Crucis Cardinalem, de pietate, & de litteris, & studiosis omnibus optime meritum, qui illi sessioni, & aliis omnibus praesuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaretur, & postea, non opinor semel, mihi testatus est, nihil amplius voluisse Patres firmare.*

Resp. Vegam hic non esse audiendum: nam ex ejus assertionem non pauca sequuntur satis absurda. Etenim si res ita habet, ut asserit Vega, 1. Synodus non aliter approbavit Vulgatam nostram, quam Doctores solent approbare libros, de quibus testantur, quod nihil fidei dogmatis, vel bonis moribus contrarium contineant. Hinc 2. qui nunc auderet asserere, quod Vulgata nostra innumeris contra originalis Scripturae sensum erroribus scateat, ex quibus tamen nullum colligi possit perniciosum dogma in fide vel moribus, quantumvis veritati, at Synodi decreto non contradiceret. 3. Imò quantumvis supponatur Vulgata nostra, innumeris ejusmodi erroribus esse defodata, adhuc habebit totam authenticam, quam ei Synodus attribuit. Hinc inter Doctores nonnulli Vegam ut inconsideratè hac in re locutum infimulant.

Præterea, quid opus erat decreto, ut omnibus certum esset, nullo Vulgatam defodari errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset, cum hoc in Ecclesia Dei jam esset exploratissimum, & vel sola auctoritas demonstraret evidenter? Item, si Concilium Vulgatam eo tantum sensu authenticam declarare voluit, quid opus fuit ad executionem decreti, ut Vulgata emendatissime & quam emendatissime imprimeretur? quandoquidem, qualis tunc extabat in suis exemplaribus, nullo defodata erat errore, ex quo perniciosum dogma in fide & moribus colligi posset. Item quod dicit Vega, ex verbis decreti colligi posse, quod Concilium nihil amplius statuere voluerit, est evidenter falsum, & contrarium superius ostendimus.

At inquit. A Cardinali Sanctae Crucis, qui praesuit omnibus Synodi sessionibus, Vega non semel audivit, nihil amplius voluisse Patres firmare, scilicet quam Vulgatam nullo defodari errore, ex quo perniciosum dogma in fide & moribus colligi posset.

Resp. 1. Vegae testimonio evidenter contradicere verba decreti, adeoque testimonium illud nullius esse momenti. *Resp. 2.* Vegam Cardinalis mentem non attigisse: ut enim manifestè colligitur ex his, quae à nobis ex Palavicino relata sunt, non aliud ab eo audire potuit, quam Vulgatam, etiam à mendis librorum repurgatam, approbatam tantum fuisse à Synodo ut bonam, non verò ut omnium possibilem optimam Scripturae originalis interpretationem. Unde, ut ibidem observat Vega, Synodus decreto suo nec cohibuit, nec cohibere voluit, studiosorum linguarum industriam, qui aliquando docent, melius potuisse aliqua verti, & uno eodemque verbo vel plures nobis suggessisse Spiritum Sanctum sensus, vel certe alios commodiores, quam è vulgata editione possent haberi.

Obj. Palavicinum, sic cap. citato, n. 10. loquentem: *Quod vulgata translatio exemplari primævo per omnes leviores minutasque particulas conformetur, nec ab illo declinaverit, vel in certa arbore, vel in certa animante (adde, vel in certa gemma) pro aliis alias exponendo, pia est aliquorum sententia, quam quidem qui respuat, non damnatur ab Ecclesia.* Ergo falsum est, quod Synodus decreto suo Vulgatam declaraverit intrinsecè authenticam, seu Scripturae originali conformem in amplo illo sensu, quem nos asserimus. *Resp.* Vulgatam à Synodo authenticam declarari simpliciter, & absque omni addito diminutive vel restringente, adeoque declarari Scripturae originali, saltem quoad sententias & res expressas, ubique conformem; qualis non esset, si in certa arbore, vel animante, aut gemma, ab exemplari primævo declinaret, aliam pro alia exponendo. Fateamur tamen eos, qui non tam arctè intelligunt decretum Synodi, non damnari ab Ecclesia: unde tantum sequitur, sententiam nostram non esse de fide, & oppositam aliquam habere verisimilitudinem saltem ab extrinseco, hoc est, ab auctoritate Doctorum, qui eam tuerentur.



DISPUTATIO IV.

De Traditione.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Traditio, & quomplex sit.

1. **T**raditionis nomen dupliciter sumitur, latè scilicet & strictè. Traditio latè & generaliter sumpta, est omnis doctrina, ab uno alteri communicata, sive scripto, sive viva voce communicetur. Pater ex Apostolo ad Thessalonicenses 2. cap. 2. ubi sic loquitur: *Tenere traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Traditio verò strictè sumpta, & prout à Patribus & Theologis communiter accipitur, est doctrina, quæ ab uno alteri communicatur, non scripto, sed viva voce tantum. De Traditione in hac acceptione agitur in hac Disputatione. Traditio igitur, ut hic sumitur, est doctrina, non scripto, sed viva voce tradita à primo auctore, sive postea ab aliis scripto mandata fuerit, sive non. Sic v. gr. quod infantes sint baptizandi, scriptum invenimus in veterum Patrum libris, nihilominus dicitur, & est Traditio Apostolica; quia parvulos esse baptizandos, primis fidelibus non scripto, sed viva voce tradiderunt Apostoli: in nullo enim libro Apostolico scriptum invenitur, & tamen est de fide, adeoque à Deo revelatum per Apostolos, & per eos primis fidelibus viva voce traditum.

2. Traditiones dividuntur in divinas & humanas. Traditiones divinae sunt illae, quae Deum habent auctorem; humanae verò, quae auctores habent homines. Traditiones divinae aliae dicuntur legis naturae, aliae legis Moisaicae, & aliae legis Evangelicae. Traditiones

tiones legis naturæ, sunt illæ, quas homines, qui sub illa lege fuerunt, acceperunt à Deo per Adamum, Noë, Abrahamum, aliove Patriarchas. Traditiones legis Mosaicæ sunt illæ, quas Israelitæ à Deo per Moysen, aliove Prophetas acceperunt, nec in veteri testamento inveniuntur scriptæ. Traditiones legis Evangelicæ sunt illæ, quas Ecclesia accepit à Deo per Apostolos, nec scriptæ reperiuntur in novo Testamento.

Porro ex traditionibus legis Evangelicæ alias ex ore Christi exceperunt, alias verò à Spiritu S. revelante acceperunt Apostoli. Primi generis sunt illæ omnes, quæ ad materiam & formam Sacramentorum pertinent, nec in libro aliquo canonico scriptæ sunt: solus enim Christus essentiam, adeoque materiam & formam Sacramentorum instituit potuit. Omnes tamen legis Evangelicæ traditiones Apostolicæ dicuntur, quia omnes per Apostolos accepit Ecclesia.

3. Traditiones humanæ aliæ sunt purè humanæ, aliæ verò Ecclesiasticæ. Purè humanæ sunt illæ, quæ authores habent homines sibi relictos: Ecclesiasticæ verò, quæ Ecclesiam à Spiritu S. rectam habent authorem. Primi generis fuerunt olim apud Judæos Traditiones pharisaicæ, sic dictæ, quia à Phariseis vel inventæ fuerunt, vel saltem plurimum commendatæ: ut quod manus lavandæ essent ante cibi sumptionem, & hæc lotio sæpius inter comedendum iteranda; quod rerum etiam minutissimarum decimæ Deo offerendæ essent; quod filii parentibus suis in necessitate subvenire non tenerentur, & satis esset, si Deo munus aliquod offerrent, &c. Quarum traditionum aliæ erant bonæ ex genere suo, aliæ malæ, aliæ denique indifferentes & inutiles.

4. Traditiones Apostolicæ aliæ sunt speculativæ, & aliæ practicæ. Speculativæ, quæ etiam dicuntur traditiones de fide, sunt illæ, quæ speculativam veritatem continent, ut quod nec plura sint nec pauciora, quam septem Sacramenta: practicæ verò, quæ etiam dicuntur traditiones de moribus, sunt illæ, quæ continent aliquam veritatem practicam, & ad mores seu ritus Ecclesiæ pertinentem, ut quod aqua in Missæ sacrificio sit vino miscenda in calice; quod Festum Paschæ celebrandum sit die dominica, lunam Martii 14. proximè subsequente, &c.

5. Traditiones practicæ aliæ sunt perpetuæ, & aliæ temporales; item aliæ universales, & aliæ particulares; item aliæ necessariæ, & aliæ liberae. Perpetuæ sunt illæ, quæ institutæ sunt in perpetuum, hoc est, ut in Ecclesia serventur usque ad finem Mundi, ut mixtio aquæ cum vino in calice; celebratio Paschæ die Dominica, proximè subsequente lunam quartam decimam mensis Martii: temporales verò, quæ ad certum tempus tantum institutæ fuerunt, ut legalium aliquarum caeremoniarum observatio, nempe abstinentia à suffocato & sanguine, servanda usque ad plenam Evangelii promulgationem.

Traditiones universales sunt, quæ institutæ fuerunt pro universa Ecclesia, ut celebratio Festorum Paschæ & Pentecostes, jejunium quadragesimale, jejunium quatuor temporum: particulares verò, quæ institutæ fuerunt pro una, vel pluribus Ecclesiis particularibus; quale adhuc erat tempore S. Augustini jejunium sabbati, à Petro Apostolo traditum Ecclesiæ Romanæ, quod cum Ecclesiæ Romana aliæque aliæ particulares Ecclesiæ servabant.

Traditiones denique necessariæ sunt illæ, quæ institutæ fuerunt per modum præcepti, adeoque obligant in conscientia; ut jejunium quadragesimale, jejunium quatuor temporum, celebratio Festorum Paschæ & Pentecostes, &c. Traditiones verò liberae dicuntur, quæ institutæ sunt ad modum concilii tantum: unde non obligant in conscientia ad sui observationem; ut adorare versus Orientem, signare se signo Crucis, aqua benedicta alpergere, &c.

6. Similiter traditiones Ecclesiasticæ aliæ sunt speculativæ, & aliæ practicæ. Speculativæ veritatem aliquam speculativam continent, ut quod Concilium Nicænum fuerit œcumenicum; quod Gregorius Ma-

gnus fuerit legitimus Pontifex, &c. Practicæ verò continent veritatem aliquam practicam, ut quod celebrandum sit festum Sancti Laurentii martyris; quod celebranda sit B. Virginis Nativitas, &c. Porro speculativæ sunt, veritatum speculativarum, & practicæ veritatum practicarum, in Scriptura Sacra vel Apostolicis traditionibus contentarum, ad quædam particularia sub illis contenta, applicationes vel extensiones, ab Ecclesia, à Spiritu sancto acta & gubernata, factæ.

Traditiones ecclesiasticæ practicæ subdividi possunt in perpetuas, & non perpetuas; item in universales, & particulares; item in necessarias, & liberae: nam vel sunt institutæ ut semper serventur, ut sunt perpetuæ, vel sunt institutæ ad certum tempus tantum, & temporales sunt. Item vel sunt receptæ in universa Ecclesia, & sunt universales, vel sunt usitate tantum in aliquibus Ecclesiis particularibus, & particulares sunt. Denique vel vim habent obligandi in conscientia, & sunt necessariæ; vel se habent per modum consilii tantum, & liberae dicuntur.

ARTICULUS II.

Utrum extiterint aliquæ traditiones divine in lege Naturæ & lege Mosaicæ.

RESPONSIO I.

Extiterunt aliquæ traditiones divine in lege naturæ.

Probat. Quia in lege naturæ potuit esse, & fuit fides divina. Ergo in lege naturæ fuerunt aliquæ revelationes divine. Consequens patet: nam fides divina est actus, quo credimus Deo aliquid revelanti credibiliter. Atqui revelationes illæ non fuerunt à sacro aliquo authore scriptæ: primus enim omnium authorum sanctorum fuit Moyses. Ergo revelationes illæ viva tantum voce traditæ, & conservatæ fuerunt. Ergo, &c.

Porro quod in lege naturæ potuerit esse & fuerit fides divina, patet ex eo, quod, 1. in illa lege aliqui, imò multi iusti fuerunt & Deo grati. At nemo potuit unquam iustus esse & Deo gratus sine fide divina, juxta illud Apostoli ad Hebr. cap. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* 2. In illa lege potuerunt peccatores ad Deum converti. At nemo unquam ad Deum converti potuit sine fide divina, juxta illud ejusdem Apostoli eodem loco: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* In illa lege homines erant in statu elevationis, adeoque poterant & debebant tendere ad beatitudinem supernaturalem. At ad supernaturalem beatitudinem non tenditur, nisi per actus supernaturales fidei, spei, charitatis, & virtutum moralium, prælucente fide divina, ex imperio charitatis operantium.

Confirmatur Resp. Nam Deus Adamo multa revelavit ante lapsum ejus, ut existentiam suam, mysterium sanctissimæ Trinitatis, immortalitatem animæ, supplicium æternum impiis, & æternam beatitudinem iustis preparatam in altera vita. Item multa etiam ei revelavit post ejus lapsum, ut venturum Messiam Deum in hominem, passionem ejus & resurrectionem, genus humanum ejus morte redimendum, remedium parvulis adhibendum ad delendum peccatum originale. His adde multa alia circa cultum externum, quem sibi exhiberi volebat Deus; circa ritus sacrificiorum Deo offerendorum, atque imprimis per sacrificia illa præfigurandam mortem & passionem Redemptoris. Hæc autem omnia, & alia fortasse plura, sibi à Deo revelata, Adamus non scripto, sed viva voce tradidit filiis & nepotibus suis, qui ea similiter filios ac nepotes suos viva voce docuerunt.

Præterea, non solum Adamo locutus est Deus, sed etiam Patriarchis aliis, ut Setho, Enos, Enoch,

cho, Noëmo & Abrahamo, quibus vel eadem quæ Adamo, vel etiam aliqua alia revelavit. Hi autem veritates sibi à Deo revelatas, non calamo, sed ore tradiderunt filiis suis, qui parentes imitati, quæ ab illis audierant, filiis suis similiter, non calamo, sed ore tradiderunt.

RESPONSIO II.

In lege Mosaica, præter Scripturam sacram, extiterunt aliquæ traditiones divinæ.

Prob. Quia Judæi fide divina credebant explicitè plurimas veritates, quarum tamen in veteri Testamento nullibi reperitur expressa mentio, quales sunt immortalitas animæ, mortuorum omnium resurrectio in fine Mundi; in statu peccati morientium æterna damnatio, & beatitudo æterna morientium in statu gratiæ; pœna temporaria, pro peccatis remissis debita, ab animabus iustorum in purgatorio persolvenda; peccati originalis condonatio pro masculis octavo die circumcisis; & pro fœminis, ac masculis ante diem octavum morientibus, certo alio ritu externo adhibito. Ergo Judæi plurimas illas veritates credebant propter traditionem divinam: nam credebant illas propter expressam revelationem divinam. Siquidem credebant illas explicitè; nec expressam illarum revelationem divinam habebant in Scriptura; siquidem illarum mentio expressa nullibi fit in veteri Testamento. Superest igitur ut illas crederent propter expressam illarum revelationem divinam viva voce traditam. Ergo, &c.

Confirmatur. Quia vera legis scriptæ intelligentia, quam Moyses tradidit sacerdotibus, ut ea ad controversias circa sensum legis exortas, quæ ad illos ex ipsius legis præcepto deferendæ erant, dirimendas juvarentur, fuit vera traditio divina: nam fuit nova revelatio, per Moysen à Deo, non scripto, sed oretenus facta sacerdotibus. Ergo Judæi, præter Scripturam sacram, habuerunt etiam divinam traditionem, Scripturæ S. interpretem.

Obj. 1. Deuteron. cap. 4. damnantur traditiones, eum dicitur: *Non additis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Resp. Hoc esse falsum: hoc enim loco Deus tantum prohibet, ne mandata quæ tradit, falsa interpretatione depraventur, & præcipit ut integrè servantur, qualia imponuntur, nihil addendo vel minuendo, ut patet ex verbis subsequentibus: *Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Unde hoc loco non aliud dicit, quàm quod cap. 12. cum ait: *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino: nec addas quidquam nec minuas.*

Obj. 2. Christus Matth. cap. 15. indiscriminatum damnat traditiones Judæorum: ait enim illis: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Ergo Judæi non habuerunt traditiones divinas. Resp. neg. ant. Nam Christus hoc loco damnat tantum traditiones merè humanas, quarum aliæ inutiles erant, aliæ verò etiam malæ, & scripturis repugnantes, ut patet ex verbis subsequentibus: *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Sed

Nota. Apud Judæos traditiones fuerunt duplicis generis, aliæ scilicet antiquæ, quas acceperant à Moie & aliis Prophetis, aliæ verò recentiores, quas acceperant à recentioribus magistris, quos fuisse Rabbinos Akiba, Simeon, & Hille, scribit Hieronymus in sua ad Algasiam epistola quæst. 10. Has damnarunt Christus & Apostoli, non illas. De secundis sic loquitur Hieronymus loco citato: *Quanta traditiones phariseorum sint, quas hodie vocant & streptos, & quam aniles fabule, evolvere nequeo: neque enim libri patitur magnitudo; & pleraque tam turpia sunt, ut erubescam dicere.*

Traditiones Judæorum paulò aliter dividit S. Epiphanius in Protiomaitarum hæresi num. 90. ubi sic loquitur: *Seniorum traditiones & streptos à Judæis vocantur. Quatuor autem illarum sunt genera. Primum*

est, quod sub nomine Moysi circumferunt. Secundum est, quod Rabbi Akiba tribuunt. Tertium Adde, sive Jude. Quartum ad Assamonai filios referunt. Mosaicæ autem traditiones verè divinas fuisse, & à Christo probatas, paulò inferius asserit his verbis: Ceterum quæ à Moysè sancita sunt, à Deo minime sunt aliena, à quo, Moysè sequestre & interprete, tradita sunt: quod & ipsum Salvatoris iudicium evidenter approbat. Scribit idem Epiphanius in Marcionitarum hæresi, traditionem Akibæ paulò ante captivitatem Babylonicam; traditionem, quæ Davidis inscribitur, post reditum à Babylonia, & traditionem Assamonæorum Alexandri & Antiochi temporibus, annis ante Christum 190. initium habuisse.

ARTICULUS III.

Utrum præter Scripturam veteris & novi Testamenti, existant traditiones divinæ in lege Evangelica.

Traditiones divinas olim repudiavere antiquissimi hæretici, Basilidiani scilicet, Cerinthiani, Valentiani, & Marcionitæ, de quibus hæc scribit Sanctus Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 2. *Cum ex Scripturis arguantur, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque sint ex auctoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant traditionem.* Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos; adversantur traditioni. Evenit itaque neque Scripturis jam, neque traditioni consentire eos. Itaque hæretici illi, cum urgebantur Scripturarum testimonio, provocabant ad traditiones; & cum urgebantur traditionibus Apostolicis, illas velut traditiones merè humanas aspernabantur: sic impii in circuitu ambulant.

Veteres illos hæreticos in rejiciendis traditionibus divinis imitati sunt alii posteriores hæretici, Donatistæ scilicet, Ariani, Eunomiani, Nestoriani, Eutychiani, Aeriani, &c. quos sæculo duodecimo Apostolici, decimo quarto Vvicleffus, decimo sexto Lutherus & Calvinus secuti sunt, quorum hic hæc habet lib. 4. instit. cap. 8. §. 8. *Esto igitur hoc firmum axioma, non aliud habendum esse Dei verbum, cui datur in Ecclesia locus, quam quod lege primum & Prophetis, deinde scriptis apostolicis continetur: nec aliud esse ritè docendi in Ecclesia modum, nisi ex ejus verbis (scripti) præscripto & norma.* Ille verò ita loquitur in commentar. cap. 1. ad Galatas: *Neque aliæ doctrina in Ecclesia tradi & audiri debet, quàm purum Verbum Dei, hoc est, sancta Scriptura.* Doctores vel auditores alii cum sua doctrina, anathema sunt. Sed contra illos omnes sit

RESPONSIO.

Præter Scripturam Sacram, existunt etiam traditiones divinæ in lege Evangelica.

Prob. 1. Ex Scriptura: nam sic loquitur Apostolus 1. Cor. cap. 11. *Lando vos, fratres, quòd per omnia mei memores estis: & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et 2. Thessal. cap. 2. *Itaque fratres, stete (firmi in fide), & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* In quæ verba sic habet S. Basilii lib. de Spiritu Sancto cap. 29. *Arbitror apostolicum esse, etiam non scriptis traditionibus inherere.* Laudo, inquit, vos, quòd omnia mea meministis, & quemadmodum tradidi vobis, traditiones obinetis, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam. Et S. Damascenus lib. 4. orthod. fid. cap. 17. *Quòd autem Apostoli quamplurima, nullo Scripturæ Sacre loco prodita, nobis tradiderint, his verbis testatur ille Gentium Apostolus Paulus: Stete igitur, &c.* Et ad Corinthios scribens: *Lando*

Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, traditiones tenetis. Vulgata nostra habet *praecepta mea*, quod diversum non est: loquitur enim Apostolus de praeceptis, non scriptis, sed viva voce traditis.

Prob. 2. Ex Patribus Graecis, ex quibus hic sufficient nobis Ignatius martyr, de quo haec refert Euseb. lib. 3. hist. Eccl. c. 36. *Cum per Asiam sub custodia navigaret, singulas quasque digrediens civitates, Ecclesiae populos Evangelicis cohortationibus edocebat in fide persistere...* & ut diligentius ac tenacius Apostolorum traditionibus inhaerent, quas traditiones cautele gratia, & ne quid apud posteros remaneret incerti, etiam scriptas se asserit reliquisse. Ignatius igitur adhortabatur Ecclesiae populos, ut inhaerent Apostolorum traditionibus, quas ipsi non scripserant; quando quidem illas, ne exciderent, aut in dubium aliquando revocarentur, ipse scripserat.

Irenaeus lib. 3. cap. 2. verbis jam relatis, & cap. 3. ubi ait: *Hac ordinatione & successione (Pontificum) ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis praecognitio pervenit usque ad nos.* Et cap. 4. ubi haec habet: *Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* Ecce aperte supponit, praeter divinas Scripturas, esse in Ecclesia traditiones Apostolicas, easque per ordinationem & successionem Pontificum conservari asserit.

Clemens Alexandrinus, de quo Eusebius lib. 6. hist. Eccl. cap. 11. haec inter alia narrat: *In libello, quem scripsit de Pascha, confitetur extorqueri sibi a fratribus, ut ea quae a presbyteris, idest a successoribus Apostolorum voce sibi sola tradita sunt, describeret in libris, ac posteris traderet.* Hic manifeste loquitur Clemens de traditionibus Apostolicis: loquitur enim de iis quae audierat a successoribus Apostolorum, adeoque de iis quae ipsi Apostolorum successores audierant ab Apostolis, qui ea non scripto, sed voce sola tradiderant: unde a fratribus enixe rogatus erat Clemens, ut illa describeret in libris, & posteris scripto traderet.

Origen. hom. 5. in lib. Numeror. ubi multas traditiones apostolicas de moribus seu ritibus ecclesiasticis enumerat, & dicit illarum rationem non esse notam omnibus: licet omnes eas servare teneantur.

Euseb. lib. 1. demonstr. Evang. c. 8. ubi sic loquitur de Apostolis: *Quaecunque iis convenire arbitrabantur qui animas adhuc affectibus obnoxias gererent, curationisque indigentes, ea ipsi ad imbecillitatem multorum se demittentes, partim literis, partim sine literis, quasi iure quodam non scripto servanda, commendaverunt.* Non omnia igitur scripserunt Apostoli, sed aliqua scripto, & aliqua viva voce tantum primis fidelibus tradiderunt servanda.

Basilii lib. de Spiritu S. cap. 27. ubi longa inductione probat traditiones apostolicas: *Ut signo crucis, inquit, eos qui spem collocaverunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Ut ad orientem versi precemur, quae nos docuit Scriptura? Invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistiae, & poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Consecramus aquam baptismatis, & oleum unctionis, praeterea ipsum qui baptismum accipit, ex quibus scriptis? Nonne a tacita secretaque traditione, &c.*

Prob. 3. Autoritate Patrum Latinorum, pro quibus omnibus sint Tertullianus & Augustinus, quorum ille sic loquitur in lib. de corona militis cap. 3. *Ergo quaramus an & traditio non scripta non debeat recipi? Plane negabimus recipiendam, si nulla exempla praedictae aliarum observationum, quas sine ulius Scripturae instrumento, solius traditionis titulo, exinde consuetudinis patrocinio vindicamus.* Tum variis Ecclesiae observationibus enumeratis, sic profectur c. 4. *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem exposuimus scripturarum, nullam invenies: traditio tibi praetenditur auctor, &c.*

Augustinus verò haec habet lib. 5. de bapt. contra Donatistas c. 23. *Apostoli nihil quidem exinde praeperunt: sed consuetudo illa, quae opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est: sicut sunt multa, quae universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis praeccepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Lib. 4. c. 24. dixerat: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum, rectissime creditur.*

Prob. 4. Autoritate Concilii Tridentini sess. 4. in decreto de canonicis scripturis, ubi dicitur: *Perficiens (Synodus) hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, &c.* Et inferius: *Si quis traditiones praedictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.*

Prob. 5. Ratione: nam multa sunt de fide, quae tamen nullibi in Scriptura reperiuntur scripta, ut quod B. Virgo etiam post partum virgo perpetuo manerit; quod baptismus parvulorum valeat, nec expectandus sit usus rationis, ut valide baptizentur; quod baptismus collatus ab haereticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, sit ratus, & quod hi qui sic ab haereticis baptizati sunt, non sint rebaptizandi; quod septem sint Sacramenta, non plura, nec pauciora, & quod omnia a Christo instituta fuerint; quod Baptismus, Confirmatio & Ordo, characterem imprimant, nec possint iterari: haec, inquam, & alia multa sunt de fide, & quidem independentes ab omni revelationum divinarum determinatione, extensione, vel applicatione facta ab Ecclesia. Ergo fuerunt in se & secundum se revelata. Ergo multa, quae nullibi in Scriptura reperiuntur scripta, fuerunt in se & secundum se revelata. Ergo plurimae extant revelationes divinae, a nullo auctore canonico scriptae, sed solum ab Apostolis viva voce traditae Ecclesiae, propter quas possumus, vel etiam debemus plurimas veritates fide divina credere. Ergo, &c.

Confirm. Quia Apostoli episcopis, quos particulatim Ecclesiis praefecerunt, multa, puta ad essentiam & administrationem Sacramentorum, atque ad veram Scripturarum intelligentiam pertinentia, commendaverunt, & viva voce tradiderunt, non scripto, & quidem propter rationem multiplicem: ea enim noluerunt scribere, 1. ne libri sacri in immentum crescerent. 2. Ne si scripta inciderent in manus gentium, ab illis iraderentur mysteria religionis nostrae. 3. Ut essent in Ecclesia qui instruerent, & qui instruerentur, ac sic arctius esset Ecclesiae membrorum unio. 4. Ut fideles de Scripturarum intelligentia, aliisque rebus ad fidem pertinentibus, Ecclesiam ejusque praelatos consulere cogerentur, & sic magis commendaretur Ecclesiae & praelatorum ejus auctoritas. 5. Quia expediebat aliqua plebem latere, & innotescere solis praelatis, ad majorem illis apud plebem conciliandam reverentiam. Ergo in Ecclesia, praeter doctrinam ab auctoribus sacris scriptam, est & alia doctrina sola voce ab Apostolis olim tradita, & commendata praelatis Ecclesiae, & per continuam praelatorum Ecclesiae ordinationem & successionem hactenus conservata, & usque ad Mundi consummationem conservanda.

De hac doctrina ab Apostolis sola voce praelatis Ecclesiae tradita & commendata, certo certius loquitur Paulus 1. ad Timoth. cap. ultim. cum ait: *O Timothee, depositum custodi.* Et 2. ad eund. cap. 1. cum dicit: *Formam habes sanorum verborum, quae a me audisti in fide & in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.* Et cap. 2. cum ait: *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia, quae est in Christo Jesu; & quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Nam per depositum illud, de quo servando tantum

ram præfere sollicitudinem, aliud intelligere non potest, quam doctrinam viva voce traditam Timotheo, quem ordinaverat episcopum: unde doctrinam illam vult à Timotheo, non in scrinio, sed in pectore diligenter asservari: unde jubet Timotheo, non ut plura illius exemplaria describi curet, sed ut illam, sicut ab ore loquentis exceperit, ita oretenus commendat hominibus ad docendum idoneis: unde denique non dicit: Verba quæ scripsi tibi, sed, verba quæ à me audisti, multis aliis tecum audientibus.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones.

Obi. 1. Apostolus ad Galatas cap. 1. dicit: *Licet nos aut angelus de Cælo evangelizet vobis, præter quàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Et Joannes Apocal. cap. 22. *Si quis appoverit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Et iterum Apostolus Paulus 2. ad Timoth. c. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad corripendum, &c.*

Resp. ad 1. Ibi Apostolus invehitur adversus pseudo-apostolos, qui Galatas docebant, eos salutem consequi non posse nisi circumciderentur, aliasque ceremonias Mosaicæ servarent, contra quod eos ipse docuerat, Mosaicam legem abrogatam esse, neminemque justificationis gratiam, adeoque nec salutem consequi posse, nisi per fidem Jesu Christi, & hanc fidem, cum aliis operibus salutaribus quæ ex illa sunt, ad salutem sufficere sine observatione ceremoniarum legalium. Sed quid hoc ad traditiones?

Resp. ad 2. His verbis tantum prohibetur, ne prophetiæ in Apocalypsi descriptæ corrumpantur, ad illas apponendo aliquid tanquam earum partem, quod tamen non sit earum pars.

Resp. ad 3. Aliud esse, quod Scriptura sit utilis ad docendum, ad corripendum, &c. & aliud, quod sufficiat: sic potius ad nutritionem utilis est, nec tamen sufficit. Dicimus igitur Scripturam utilem esse ad docendum, ad arguendum, &c. At negamus ea sola veritates omnes revelatas contineri.

Obi. 2. Scriptura est regula fidei. Ergo nulla sunt dogmata fidei, præter ea quæ ab authoribus canonicis scripta sunt. Atqui si darentur præter Scripturam traditiones divini non scriptæ, essent aliqua fidei dogmata, præter ea quæ scripta sunt ab authoribus canonicis. Ergo, &c. **Resp.** neg. conseq. Ratio negandi est, quia Scriptura non est totalis, sed partialis tantum regula fidei, etiam in ea linea, in qua est fidei regula: totalis enim regula fidei, in ea linea in qua Scriptura est fidei regula, consistit in Verbo Dei. Verbum autem Dei duplex est, scriptum scilicet & non scriptum, quorum illud libris sacris comprehenditur, hoc verò traditionibus apostolicis Ecclesiæ viva voce traditis: unde regula totalis, de qua agitur, nec sola Scriptura, nec solis traditionibus apostolicis, sed scriptura & traditionibus apostolicis continetur. Licet igitur omnia quæ sunt in Scriptura, sint de fide, non omnia quæ sunt de fide, sunt in Scriptura, sed aliqua sunt in sola traditione apostolica. Falsum igitur est, quod nulla sint dogmata fidei, præter ea quæ ab authoribus sacris conscripta fuerunt.

Obi. 3. Qui dicit, quod sint aliqua fidei dogmata, quæ non inveniuntur scripta in libris sacris, portam aperit innumeris erroribus: nam inde sumi potest occasio multa falsa dogmata commiscendi, & in Ecclesiam introducendi sub nomine traditionis apostolicæ. Ergo, &c. **Resp.** neg. ant. Habemus enim in Ecclesia viam infallibilem veras traditiones à falsis discernendi: sicut viam infallibilem habemus discernendi veras Scripturas à falsis. Hæc autem via est iudicium Ecclesiæ, quæ ob specialem Spiritus S. assistentiam, in tali discretionem errare non potest. Sicut igitur Ecclesia nunquam recepit aut recipiet falsas scripturas

Simonne Theol. Tom. II.

pro veris, ita falsas traditiones pro veris nunquam recepit, aut receptura est.

Obi. 4. Dato quod in primitiva Ecclesia fuerint aliquæ traditiones apostolicæ non scriptæ, impossibile fuit eas per tot sæcula conservari: cum huic conservationi obstiterint tot impedimenta: oblivio scilicet hominum imperitia, negligentia, & malitia. Ergo, &c. **Resp.** neg. ant. *Ad prob. Resp.* Impedimenta illa, vel etiam majora, facile superari potuisse per specialem Dei providentiam, Ecclesiæ promissam, eique hæcenus exhibitam, & usque ad finem Mundi exhibendam. Sicut igitur Deus specialiter providendo Ecclesiæ suæ, veras scripturas hæcenus conservavit, & usque ad finem Mundi conservaturus est; ita hæcenus conservavit, & usque ad finem Mundi conservaturus est veras traditiones.

Quatuor media, quibus divina providentia ad conservandas hæcenus traditiones apostolicas ula est, enumerat Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 2. videlicet scripta Patrum & Doctorum Ecclesiæ, in quibus extant traditiones apostolicæ; usum continuum, quo pleræque traditiones apostolicæ sunt in continua observatione, ut ritus sacramentorum, dies festi, & jejuniorum tempora; monumenta quædam, quæ ad longissimum tempus durant, ut templa, sacri fontes, memoriæ martyrum; cruces, & imagines; hæreses, quibus Deus hæcenus mirabiliter usus est ad conservandam Ecclesiæ doctrinam: nam quia singulis ætatibus exorti sunt novi hæretici, singulis ætatibus extiterunt viri sancti & docti, qui doctrinam Ecclesiæ diligenter investigarunt, eamque defenderunt scriptis, ac posteritati commendarunt.

Quatuor his mediis alia quatuor addi possunt, nempe integram, & continuam successionem Episcoporum ab Apostolis, quæ pluribus sæculis fuit in tribus primariis Ecclesiis, Romana scilicet, Alexandrina, & Antiochena, & adhuc perseverat, semperque perseveratura est in Ecclesia Romana; Symbolum ab Apostolis viva voce traditum primis fidelibus, & ab illis ad nos usque viva voce transmissum, atque à prælati Ecclesiæ eorumque ministris explanatum; acta & decreta Conciliorum, quæ singulis ætatibus celebrata sunt; praxim Ecclesiæ, quæ semper germanum Scripturarum sensum quaesivit in doctrina ab Apostolis viva voce tradita, & ad damnandas hæreses semper ad traditiones apostolicas confugit: cum enim Scriptura sæpè sit obscura, adeoque in varios sensus apparenter trahi possit, & ex ea errores suos stabilire niterentur hæretici, necesse fuit, ut Ecclesia ad doctrinam ab Apostolis viva voce traditam, utpotè claram & apertam, & sic nullum hæreticis elabendi locum relinquentem, confugeret.

Hæc Ecclesiæ praxis patet ex omnibus Conciliis generalibus: in illis enim priusquam aliquid definiretur, apostolica traditio in sanctorum Patrum libris investigata est, tum ex ea sic planè explorata hæreses damnata. His omnibus mediis adde nonum, nempe ipsa scripta eorum, quos Ecclesia olim damnaverat, & extra ejus communionem obierant: nam scripta illa conferebantur cum orthodoxorum scriptis, & illorum cum eis oppositione in materia de qua erat controversia, argumentum sumebatur inferendi apostolicam doctrinam illam esse, quam qui vixerant & obierant in communione Ecclesiæ, scripto reliquerant.

Obi. Patres bene multi, præter Verbum Dei scriptum, nullum verè divinum agnoverunt, ut Irenæus lib. 3. cap. 1. ubi sic ait: *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futurum.*

Tertullianus in lib. adversus Hermogenem cap. 22. ubi hæc habet: *Adoro Scripturæ plenitudinem, quæ mihi & factorem manifestat & facta An autem*

X de

de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat ut illud adjicientibus aut detrahentibus destinatum.

Cyprianus in epist. ad Pompej. adversus Stephan. ubi ita loquitur: Unde est ista traditio (quam nobis opponit Stephanus) utrumne de dominica & evangelica auctoritate descendens, an de Apostolorum mandatis atque epistolis veniens? ea enim facienda esse, quae scripta sunt, Deus testatur & proponit.... Si ergo aut in Evangelio praecipitur, aut in Apostolorum Epistolis, aut in Actibus continetur.... observetur divina haec & sancta traditio.

Basiliius epist. 80. ad Eustathium medicum, ubi haec scribit: Non putamus equum esse, ut quae apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac canone habeatur rectae doctrinae. Si enim ad probandam doctrinam rectam valet consuetudo, licet & nobis omnia haec in re illos imitari. Stemus itaque arbitrati inspirata à Deo Scripturae, & apud quos inveniuntur dogmata divinis oraculis consona, illis omnino veritatis adjudicetur sententia.

Epiphanius, qui ut citat Kemnitius, haer. 61. dicit: Nos uniuscujusque quaestiones inventionem non ex propriis ratiocinationibus dicere possumus, sed ex Scripturarum consequentia.

Hieronymus, qui sic loquitur in comment. in c. 1. Aggaei: Quae absque auctoritate & testimoniis scripturarum quasi traditione apostolica sponte reperiunt, atque fingunt, percutit gladius Dei. Et in Psal. 86. Videre quid dicat, qui fuerunt, non qui sunt, ut exceptis Apostolis, quicquid postea aliud dicitur, abscondatur, & non habeat auctoritatem.

Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas, ubi sic ait: Necessarium nobis est, divinas sequi litteras, & in nullo ab earum praescripto aberrare.

August. lib. 2. de doct. Christ. c. 9. ubi dicit: In his quae aperte posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quae continent fidem moreque vivendi. Et lib. de bono viduitatis c. 1. Sancta Scriptura nostrae doctrinae regulam figit, ne audeamus sapere plus quam oportet. Et lib. 2. de pecc. mer. & rem. c. 36. Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana praesumptio, nihil faciens, in alteram partem declinando.

Resp. neg. obj. Ad 1. prob. R. Irenaeum hic tantum dicere, eosdem Evangelium populis praedicasse primum, deinde scripto tradidisse, quod ait sine praedictio apostolicarum traditionum, quas contra haereticos illas repudiantes, ex professo defendit & commendat c. 2. & seqq. ita ut mirari satis non possimus novatorum impudentiam, qui illum tanquam apostolicis traditionibus adversantem prodere non verentur. Cum autem ait Irenaeus Evangelium scriptum, esse fundamentum & columnam fidei nostrae, hoc ait sine exclusionem traditionum apostolicarum: sicut cum Apostolus dicit Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, hoc dicit sine exclusionem Scripturarum.

Ad 2. prob. Resp. Hic Scripturis contentum fuisse Tertullianum, non quoddam prae verbum Dei scriptum, aliud nullum agnosceret; hoc enim falsum est; cum aliis locis traditiones non scriptas commendat, & ad eas contra haereticos recurrendum esse doceat; sed quia habebat in Scripturis testimonia, quibus Hermogenis mundum ex materia ab aeterno praexistente, & improducta conditum à Deo fuisse asserentis, error evidenter refellebatur. Unde ad solas Scripturas adversarium provocabat Tertullianus. Hermogeni vero, cum neque Scripturas pro se citare posset, neque confugere ad traditiones non scriptas, quae Scripturis contrariae esse non possunt, nihil aliud superesse poterat, quam ut illud, quod destinatum est iis, qui de suo capite adiungunt aliquid Scripturis, quod eis contrarium est.

Ad 3. Resp. Hic S. Cyprianum errare, & pro mo-

re errantium malam causam male defendere, ad solam Scripturam, quam in alienum sensum detorquebat, provocando, & rejiciendo traditionem apostolicam, quam ejus de haereticis, qui ad Ecclesiam veniunt, rebaptizandis errori opponebat Stephanus Pontifex. Sed hoc causam novatorum minime juvat: non enim Cyprianus traditionem hanc rejiciebat, quod nullas traditiones divinas non scriptas agnosceret; sed quia traditionem hanc non veram, sed fictitiam putabat esse traditionem. Quod autem prae verbum Dei scriptum, aliud non scriptum admittendum esse agnovit, evidenter ostenditur ex ejus epist. 68. ad Caccilius, ubi sic loquitur: Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur, neque aliud fiat à nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecit: ut calix qui in commemoratione ejus offertur, mixtus vino offeratur. At ubi in sacris litteris scriptum est, aquam esse vino miscendam in calice? Nulli libi sanè. Ergo, &c.

Ad 4. Resp. Basilium inter, & eos contra quos scribit, controvertebatur, utrum dicendum esset, in Deo esse tres hypostases, & unam naturam. Affirmabat Basiliius; illi vero negabant, & regionis suae consuetudine causam suam defendebant: sed & Basiliius pro se quoque asserere poterat regionis suae consuetudinem: quare in concursu quarum consuetudinum particularium, ex quibus nihil certi colligi poterat, cum essent sibi invicem contrariae, & ita se mutuo eliderent, sentiebat ad Scripturas recurrendum esse, & standum earum testimonio. Hic igitur Basiliius repudiat, non traditiones apostolicas non scriptas, sed consuetudinem particularem, cui suam quoque consuetudinem particularem opponere poterat, & quam judicabat contrariam esse Scripturis divinis, ad quas proinde adversarios suos traducit.

Ad 5. Resp. Hoc loco verba illa satis obscura, quae objicit Kemnitius, me non legere, sed ista, quibus sycophantia novatoris proditur: Sed, & traditione opus est, neque enim ex scripturis peti possunt omnia: idcirco alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt, quod ipsum ita Paulus affirmat. Quemadmodum tradidi vobis: Item alio loco. Ita doceo, & ita tradidi in Ecclesiis.

Ad 6. Resp. Hieronymum in primo loco de illis loqui, non qui traditiones apostolicas prae Scripturam admittunt, sed qui cerebri sui figmenta tanquam apostolicas traditiones venditant: in altero vero nihil aliud dicere, quam prae veterem Scripturam, & novam ab Apostolis eorumque discipulis conscriptam, nullam aliam tanquam divinam recipiendam esse. Rejicit igitur Hieronymus falsas Scripturas, & Apostolis suppositas, non vero traditiones apostolicas. Porro objiciunt nobis & aliqua alia ejusdem Doctoris loca, sed depravata. Vide Bellarmin. lib. 4. de verbo Dei cap. 11.

Ad 7. Resp. 1. Illum in omnibus sequi divinas litteras, & in nullo ab earum praescripto aberrare, qui nihil eis contrarium admittit, adeoque falsas, & repugnantes Scripturis traditiones rejicit. Nos autem falsas & Scripturis contrarias traditiones non admittimus, sed rejicimus. Resp. 2. Novatores hoc testimonio, quod inconsiderate nobis objiciunt, jugulari: nam sic breviter argumentor. In omnibus sequi debemus sacras litteras, & nunquam ab earum praescripto aberrare. Atqui sacrae litterae commendant traditiones non scriptas, jubentque eas recipi. Ergo graviter culpandi sunt novatores, quod traditiones non scriptas rejiciant: eas enim rejiciendo, convincuntur non se qui in omnibus sacras litteras, & ab earum praescripto aberrare.

Ad 8. R. Augustinum in primo loco loqui tantum de iis, quorum fides explicita omnibus simpliciter necessaria est ad salutem consequendam, qualia sunt illa, quae in Apostolorum Symbolo, & Decalogo continentur. At etiam alia sunt, quae non sunt sic necessaria omnibus, & quae Apostoli viva voce tradiderunt praelatis Ecclesiae, puta de ratione gubernandi Eccle-

Ecclesiam, de Sacramentorum natura & administratione, de modo profigandi hæreses, de intelligentia Scripturarum, &c.

In secundo loco non aliud dicit S. Doctor, quam se doceri ab Apostolo, Rom. cap. 12. *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Sed quid inde?

At inquit. Ibidem sic loquitur Augustinus: *Quid ergo amplius te doceam, quam id quod apud Apostolum legimus? ... Non sit ergo mihi aliud te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere.* Resp. Augustinum sic loquendo, non magis traditiones Apostolicas rejicere, quam reliquas partes Scripturæ. Dicentque illum nullam aliam præter epistolam Pauli Scripturam S. agnovisse? Nugæ. Augustinus igitur hic tantum dicit in hoc libro de bono viduitatis, se non aliud expositurum esse, quam verba Apostoli, quia quæ in hac materia scripsit Apostolus, ad viduarum christianarum institutionem abundè sufficiunt. In tertio denique loco sanctus Doctor loquitur de questione, nempe de origine animæ, cujus solutionem aliunde haberi non posse, quam ex Scriptura divina, cum existimaret; mirum non est quod dicat tenendam non esse aliam viam, deficientibus certis clarisque Scripturæ documentis.

ARTICULUS V.

Quantam auctoritatem habeant traditiones divinae.

RESPONSIO.

Traditiones divinae summam habent auctoritatem.

Prob. 1. Ex Script. Nam Apostolus 2. ad Thess. cap. 2. sic loquitur: *Itaque, fratres, state (firmi scilicet, & constantes in fide,) & tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Thessalonicenses igitur adhortatur Apostolus, ut stent firmi in fide, & ad hanc finem constanter & æqualiter adhæreant, non solum scriptis traditionibus, sed etiam non scriptis, nullum planè quoad hoc ponendo discrimen inter Verbum Dei scriptum & non scriptum. Ergo ex Apostolo, traditiones Apostolicæ non scriptæ parem habent auctoritatem cum Scriptura Sacra. Atqui Scriptura S. summam habet auctoritatem. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex Patribus. Nam sic loquitur Basilii lib. de Spiritu S. cap. 27. *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus à doctrina scriptorum prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, idest, in occulto tradita recepimus. Quorum utraque parem vim habent ad pietatem.* At si parem habent vim ad pietatem, pari reverentia suscipienda sunt: & si pari reverentia suscipienda sunt, motiva quibus fides eorum nititur, paræ sunt auctoritatis. Ergo, &c. Chrysostomus verba Apostoli laudat exponens homil. 4. in epistol. 2. Thess. sic ait: *Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderunt (Apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis: & ea quoque sunt fide digna (sicut fide digna sunt ea, quæ per epistolam tradiderunt) est traditio: nihil quæras amplius.* Ubi enim summa est auctoritas testificantis, ibi intellectum captivare nolle nefas est. Et Joannes Damascenus in orat. 1. de imaginibus, verba Basilii à nobis citata exscribit & adoptat.

His præmitti potuit Irenæus lib. 3. cap. 4. ubi hæc scribit: *Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiant multe gentes barbarorum, quorum qui in Christum credunt, sine charta & aramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum creden-*

Simonnet Theol. Tom. II.

tes fabricatorem Cæli & terre ... hæc fidem qui sine litteris crediderunt, quantum ad sermonem nostrum barbari sunt: quantum autem ad sententiam, & consuetudinem, & conversationem, propter fidem, perquam sapientissimi sunt, & placent Deo, conversantes in omni iustitia, & castitate, & sapientia. Ex his autem

Sic argumentor breviter. Ex Irenæo, sine Scriptura Sacra cum solis traditionibus non scriptis potest esse christiana fides, ea scilicet fides, quacum actus virtutum omnium christianarum exercere, veram iustitiam assequi, & Deo placere possumus. Ergo possumus assentiri prudenter assensu super omnia firmo propter traditiones non scriptas: fides enim christiana est assensus prudens super omnia firmus. Atqui non possumus assentiri prudenter assensu super omnia firmo, nisi propter motivum summæ auctoritatis, ut patet ex terminis. Ergo ex Irenæo, traditiones non scriptæ summam pollent auctoritate.

Prob. 3. Auctoritate Concilii Tridentini sess. 4. in decreto de canonicis Scripturis, ubi hæc habet: *Orthodoxorum Patrum exempla secuta (Synodus) omnes libros tam veteris quam novi Testamenti, cum utriusque unus Deus sit author, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit & veneratur.* Quibus verbis Synodus manifestè traditiones non scriptas, utpotè à Christo vel à Spiritu S. dictatas, exæquat libris divinis, adedque parem illis auctoritatem attribuit. Atqui libri divini summam habent auctoritatem. Ergo, &c.

Prob. 4. Ratione à priori; quia traditiones apostolicæ tam sunt verbum Dei, quam Scriptura Sacra, cum fuerint partim ore tenus à Christo, partim à Spiritu S. dictatæ Apostolis. Atqui verbum Dei, sive scriptum sit ab autore sacro, sive non, æqualem habet auctoritatem, summam scilicet & summè infallibilem, & æqualiter dignum est ut ei assentiamur assensu super omnia firmo: non enim auctoritatem habet, quia scriptum est, sed quia est verbum Dei, qui summam habet veracitatem. Ergo, &c.

Quæres 1. Utrum Scriptura Sacra ita sit necessaria, ut sine illa sufficere non possent traditiones divinae non scriptæ?

Resp. Negativè. Nam 1. tempore B. Irenæi, ut ipse testis est lib. 3. cap. 4. multe gentes barbaræ, ab Apostolis olim ad Christum conversæ, nullam habebant Scripturam S. & cum solis traditionibus non scriptis, quas diligenter custodiebant, fidem christianam habebant; & placebant Deo, conversantes in omni iustitia, & castitate, & sapientia. In hac autem pia conversatione perseverantes, proculdubio salutem æternam consequébantur. Ergo, &c.

2. Si Scriptura S. esset absolute & simpliciter necessaria, Christus præcepisset Apostolis, ut doctrinam Evangelicam scripto traderent populis: at hoc eis non præcipit, sed solum ut docerent, juxta illud Matth. cap. ultim. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Nec die Christum his verbis præcepisse Apostolis, ut docerent scripto: ex Apostolis enim plurimi nihil omnino scripserunt, & gentibus ad quas missi fuerant, viva tantum voce prædicarunt. Eos autem præceptum Domini in re præsertim gravissimi momenti transgressos esse, quis crederet?

Item Apostoli doctrinam Evangelicam totam vel singuli pro singulis regionibus sibi commissis, vel saltem simul congregati, pro universo Orbe communiter ante discessum suum edidissent; sicut communiter ediderunt Symbolum fidei, quod tamen non scripserunt, sed solum viva voce tradiderunt. Atqui neutrum fecerunt: nam nec scripserunt omnes, & ex iis qui scripserunt, aliqui pauca, nulli omnia scripserunt.

Item Apostoli, & Apostolorum discipuli, qui scripserunt doctrinam Evangelicam, ex primaria intentione scripserunt, & non ex occasione aliqua tantum.

Y 2 At

At non ex primaria intentione, sed solum ex occasione aliqua scripserunt. Sic Marcus Evangelium scripsit, ad id precibus Romanorum compulsus; Lucas, quia viderat multos, ea quæ non perfectè noverant, ausos esse litteris mandare; Joannes, rogatus ab Asianis Episcopis, ex occasione tunc exorientis Ebionitarum hæresis; & Matthæus, ut aliquod doctrinæ suæ memoriale Hebræis à se ad fidem recens conversis relinqueret.

3. Denique à tempore prædicationis Apostolorum ad tempus usque quo scribebat Irenæus, hoc est, per tria fere sæcula, ut patet ex loco Irenæi supra citato fidei puritas & integritas conservata est apud multas gentes barbaras abique omni Scriptura Sacra, & cum solis traditionibus non scriptis. Ergo similiter abique omni Scriptura Sacra hæcenus conservari potuit, & usque ad Mundi consummationem conservari posset in tota Ecclesia: sicut enim Ecclesiæ illæ particulares apud barbaras gentes de quibus loquitur Irenæus, ab Apostolis fundatæ, doctrinam evangelicam totam, licet non scriptam, diligenter custodierunt per plura sæcula, Deo specialiter ad hoc eis providente: ita & tota Ecclesia eandem doctrinam totam, licet non scriptam, Deo specialiter ad hoc ei providente, hæcenus custodire potuit, & usque ad Mundi consummationem custodire posset diligenter.

Quæres 2. Utrum saltem Scriptura Sacra sufficere possit sine traditionibus apostolicis?

Resp. Præter Scripturam sacram, necessarias esse traditiones apostolicas. Nam 1. multa sunt fide tenenda, ut quod B. Virgo semper fuerit virgo, quod sit Purgatorium, quod baptismus parvulorum sit ratus, quod festum Paschæ celebrandum sit die dominico, quod septem sint Sacramenta, nec plura nec pauciora, &c. Atqui hæc & alia similia nullibi in Scriptura S. inveniuntur scripta. Ergo superest, ut credi possint & debeant propter traditionem apostolicam. Ergo, &c.

2. Quod omnes libri veteris testamenti, qui sunt in canone nostro, sint verè sacri & divini, nonnisi ex traditione apostolica scire potuit Ecclesia: quod enim sint omnes sacri & divini, nullibi in novo testamento scriptum est. Propter eandem rationem, multò minù aliunde quàm ex traditione apostolica, scire potuit Ecclesia libros illos omnes cum omnibus suis partibus sacros esse & divinos. Item quod Evangelium Marci & Evangelium Lucæ sint Scriptura S., Ecclesia discere non potuit, nisi ex traditione apostolica: nam Marcus & Lucas non fuerunt Apostoli, nec in aliqua alia scriptura apostolica legitur illos, assente Spiritu S. scripsisse.

3. Et maxime, quia Scriptura S. sine traditionibus apostolicis sufficere non potest ad profligandas omnes hæreses: sæpe enim novatores Scripturam appellant, & ex ea erroribus suis patrocinium quarunt, eam in alienum sensum detorquentes, ac ejus obscuritate sese involventes. Tunc autem in veritatis catholice subsidium necessariò vocandæ sunt apostolicæ traditiones, ex eisque investigandus germanus Scripturæ sensus. Sic in Nicæna Synodo cum Ariani episcopi blasphemix suæ Scripturatum auctoritatem obtenderent, & Consubstantialis vocabulum tanquam illis contrarium flagellarent, contra illos non solum Scripturis pugnatum est, sed etiam traditione, cujus inter alios uterque Dionysius, Romanus scilicet & Alexandrinus, testes locupletissimi fuerunt. Vide Theodoret. lib. 1. hist. Eccl. cap. 8.

Amplius. Scriptura pluribus in locis obscura est, & in varios sensus trahi potest, & aliquando trahitur. Tunc autem ad dirimendam controversiam, & certò assequendam veram Scripturæ intelligentiam, neque recurri potest ad novam revelationem, nam Spiritus S. nihil de novo revelat Ecclesiæ, nec eam regit per novas revelationes, sed per eas, quæ olim per Prophetas & Apostolos factæ sunt: neque saltem semper recurri potest ad aliam Scripturæ locum clariorem: raro enim suppetent alia Scripturæ loca

ita clara, ut nullum cavillandi locum relinquant protervis. Ergo saltem aliquando, imò sæpè opus est traditione apostolica, clarè Scripturam explicante, & nullum prudens dubium circa germanum illius sensum relinquire.

ARTICULUS VI.

Quibus regulis discerni possint veræ traditiones à falsis.

Quætionem hanc absolutissimè resolvit Bellarminus lib. 4. de Verbo Dei cap. 9. ubi ad hunc finem quinque regulas proponit, quas hic cum eo exponimus.

I. regula. Quod Ecclesia universa tenet tanquam dogma fidei, nec tamen reperitur in S. Scriptura, habetur ex traditione apostolica.

Ratio est, quia quidquid Ecclesia universa credit esse de fide, reverà tale est: non enim potest Ecclesia universa errare in fide, sive credendo esse de fide quod non est de fide, sive non credendo esse de fide, quod est de fide, ut suo loco probabitur. Atqui nihil est de fide, quod non fuerit olim à Deo per Prophetas vel Apostolos aliquo modo revelatum: nihil enim potest esse de fide sine revelatione aliqua divina, & revelationes divinas alias non habet Ecclesia, præter illas quæ antiquitus factæ fuerunt per Prophetas & Apostolos: unde Ecclesia Ephes. c. 2. dicitur superædificata super fundamentum Apostolorum & Prophetarum. Ergo quidquid Ecclesia universa credit esse de fide, fuit olim à Deo per Prophetas vel Apostolos aliquo modo revelatum, adeoque vel in Scriptura S. vel in traditionibus apostolicis continetur. Ergo si non habetur ex Scriptura S., habetur ex traditione apostolica. Juxta hanc regulam, quod B. Virgo semper fuerit virgo, ab Apostolis viva voce traditum esse dicimus.

II. regula. Quod à solo Deo constitui potuit, & tamen servatur ab universa Ecclesia, quamvis nunquam reperitur scriptum in libris canonicis, à Deo per Apostolos Ecclesiæ viva voce traditum esse, pro certo statuendum est.

Ratio est, quia Ecclesia universa non magis errare potest circa cultum divinum & ritus sacros, quàm circa fidem. Ergo nihil ex iis quæ sine institutione divina observari non possunt, observat, quod re ipsa non fuerit institutum à Deo, proindeque ipsi à Deo per Apostolos, vel scripto, vel viva voce traditum. Ergo si quid hujusmodi observat, nec in libris sacris scriptum est, procubio de traditione apostolica venit. Juxta hanc regulam, quia Ecclesia universa baptizat parvulos, & hæreticos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatos non rebaptizat, ab Apostolis Ecclesiæ, quod baptismus parvulorum sit ratus, & quod hæretici baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, validè baptizent, viva voce traditum esse certò colligimus.

III. regula. Quod ab universa Ecclesia semper observatum fuit, meritò creditur ab Apostolis institutum, licet ab ipsamet Ecclesia institui poterit.

Hanc regulam tradit S. Augustinus lib. 4. de bapt. cap. 24. Juxta hanc regulam, certò tenemus jejunium quadragesimale esse ex traditione apostolica, seu, quod idem est, præceptum jejunandi quadraginta diebus ante festum Paschæ, ab Apostolis impositum, & viva voce traditum fuisse Ecclesiæ: quamvis enim tale præceptum imponere potuisset Ecclesia ipsa, ab ea tamen non esse impositum, sed ab Apostolis, rectè colligimus ex eo quod jejunium quadragesimale semper in Ecclesia servatum fuerit, ut testis est Irenæus in sua ad Victorem Pontificem epistola, apud Eusebium lib. 5. histor. Eccl. cap. 24. & ante eum Ignatius Martyr in sua ad Philippenes epistola, quam docti ut genuinam recipiunt, licet in manus Eusebii non venerit, & sic nullam illius faciat mentionem.

Juxta

Juxta hanc eandem regulam, inter apostolicas traditiones merito computamus festum Paschæ, festum Nativitatis & Ascensionis Christi, festum Pentecostes, caeremonias in baptismo adhiberi solitas, &c. Licet enim hæc & alia multa, si non essent instituta ab Apostolis, ab Ecclesia institui potuerint, tamen ex eo quod semper servata fuerint in universa Ecclesia, ab Apostolis profecta, & viva voce primitivæ Ecclesiæ tradita, rectissime creduntur.

IV. regula. Si quando Patres omnes, seorsim scribentes, communi consensu docent aliquid de traditione apostolica descendere, velut ab Apostolis viva voce traditum, indubitate tenendum est.


Ratio est, quia idem sentit universalis Ecclesia, quod sic Patres omnes, etiam seorsim scribentes, communi consensu docent. Sed quod universalis Ecclesia sentit de traditione apostolica descendere, certo certius ex ea descendit; alioquin universalis Ecclesia errare potest in materia fidei, quod absque hæresi dici non potest. Ergo, &c.

Potest recte addit Bellarminus sufficere, si aliquot ex antiquioribus & magni nominis Patribus asserant aliquid traditum esse ab Apostolis, & ceteri ejusdem rei meminerint, nec contradicant: tunc enim sententia veterum illorum Patrum merito censetur esse omnium aliorum, adeoque & ipsius universalis Ecclesiæ sententia. Ratio est, quia quando aliquis veterum Patrum graviter erravit in materia fidei, nunquam non fuerunt multi alii, qui contradicerent.

V. regula. Illud certo tenere debemus venire de apostolica traditione, quod pro tali habetur ab Ecclesia apostolica, in qua integra & continuata est successio Episcoporum ab Apostolis, hoc est, in qua ascendendo per Episcopos sibi invicem succedentes, pervenitur ad Apostolum a quo fundata est, nec probari potest quod ab aliquo ex illis Episcopis nova doctrina introducta fuerit.

Ratio est, quia tunc sufficienter constat, in tali Ecclesia puras & integras conservari traditiones Apostolicas. Hanc regulam tradit S. Irenæus lib. 3. cap. 3. & post eum Tertullianus in libro de præscript. c. 21. ubi hæc scribit: *Quid (Apostoli) prædicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, que cum illis Ecclesiis apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspirat, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit.*

Potest cum in nullis Ecclesiis apostolicis, excepta Romana, integra & certo continuata successio ab Apostolis invenitur jam à multis sæculis, jam à multis sæculis hæc quinta regula quadrat in solam Ecclesiam Romanam, in qua certa est successio, quamque nulla unquam novitatis labes infecit: quapropter ex ea sola certum haberi potest argumentum ad probandas traditiones apostolicas, atque de ea etiam nunc jure merito cum Irenæo, loco proxime citato, dicimus: *Maxime & antiquissima, & omnibus cognita, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Rome fundata & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquomodo per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cecitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Hactenus de regulis, quæ assignari possunt præter Concilium generale, & definitiones summorum Pontificum, ab Ecclesia receptas, de quibus aliàs suo loco. Nunc sit



DISPUTATIO V.

De Constitutivo Ecclesiæ.

Ecclesia, quæ græcè idem est, ac evocatio vel convocatio latine, variè in Scriptura accipitur. Et 1. quidem, pro societate impiorum, ut Plal. 25. ubi dicit David: *Odium Ecclesiam malignantium.* 2. Pro cætu hominum ethnicorum, ut Act. cap. 19. ubi de populo Ephesino dicitur: *Erat enim Ecclesia confusa.* 3. Pro cætu fidelium, ut Act. cap. 12. ubi legitur: *Oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* 4. Pro locis sacris, & templis, in quibus fideles conveniunt, ut 1. Corinth. cap. 11. ubi sic ait Apostolus: *Convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos.* 5. Pro iis qui præsumunt fidelibus, seu pro Episcopis; ut Matth. cap. 18. ubi sic loquitur Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* 6. Pro cætu fidelium omnium, ut Matth. cap. 16. ubi Christus ait Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam.* 7. Pro cætu aliquorum tantum fidelium, ut 1. Cor. c. 1. ubi his suam epistolam exorditur verbis Apostolus: *Paulus... Ecclesia Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, &c.*

Ecclesiam catholici Doctores solent dividere in Ecclesiam triumphantem & militantem. Ecclesia triumphans est cætus beatorum, qui cum Christo regnant, & æternum regnaturi sunt in patria. Ecclesia militans est cætus hominum in via profitentium fidem Christi, & sub vexillis ejus militantium. De Ecclesia militante hic perpetuo agitur, & subdividitur in universalem & particularem. Ecclesia particularis est cætus hominum fidem Christi profitentium sub uno vel pluribus Episcopis, ut Ecclesia Tullensis, Ecclesia Gallicana, &c. Ecclesia universalis est cætus universus hominum fidem Christi profitentium sub Episcopis, & summo iam terris Christi Vicario Romano Pontifice. Hoc secundo sensu semper Ecclesia sumitur, quotiescumque simpliciter nominatur Ecclesia.

Dari veram Christi Ecclesiam fide certum est, & apertè docent Scripturæ, Symbolum Apostolorum, & Symbolum Constantinopolitanum, nec diffidentur hæretici, contra quos hic disputabimus. Contra ethnicos verò probatur omnibus argumentis, quibus suo loco demonstrata est religionis christianæ veritas. Supposita igitur veræ Christi Ecclesiæ existentia, quaeritur quænam sit vera ejus definitio. Sed antequam resolvì possit hæc quaestio, duo alia quaerenda sunt, nempe quinam sint, & quinam non sint de Ecclesia?

Non esse in vera Dei Ecclesia infideles non baptizatos, & diversam à christiana religione sectam proficientes, apertè docet Apostolus 1. Corinth. c. 5. cum ait: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Major est difficultas de catechumenis, schismaticis, hæreticis, apostatis & excommunicatis, de quibus seorsim agendum est sequentibus Articulis.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Catechumeni sint de Ecclesia.

RESPONSIO.

Catechumeni non sunt in Ecclesia. *Prob. 1.* Ex Script. Nam Act. cap. 2. dicitur: *Qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa anime circiter tria millia.* Ex quibus verbis apparet eos, qui crediderunt, non fuisse in Ecclesia, nisi postquam baptizati fuerunt.

Prob. 2. Ex Patribus. Nam sic loquitur Gregorius Nazian.